

hasce exercere contendas, ut plane ostendas & Te lacte
fluxisse, quæ facis, & studio, ac labore diuturno exer-
cuisse, quæ modo laudabiliter operaris.

Quantum vero ex me est, ea Tibi offero, *Princeps
Eminentissime*, quæ Tu ita possides, ut de iisdem judi-
cium quidem ferre supra cæteros omnes ominino valeas.
Quis enim Te novit, quis Te audivit, & non illico
affirmavit, rem theologicam adeo a Te mirifice possi-
deri, ut in illa possis jure merito Magistri laude gloriari?
Novimus nos, atque præter omnem assentationem, uti
supra invidiam omnem, testamur, operis nostri ideam
adeo Tibi probatam fuisse, ut nobis quoque eandem inspi-
rare, suggerere, atque insuper commendare dignatus
fueris. Hinc est, quod extra rem judicamus prolixis
precibus a te poscere, ut illa protegas, quæ Tu proba-
sti; atque ut illa auctoritatis ac sapientiæ tuæ elypeo
contegas, quæ tua quoque possint, acceptationis tuæ ju-
re saltem, appellari. Solum ergo a Te, *Cardinalis sa-
pientissime*, humillime ac instantissime rogo, ut cum ope-
re hoc meo me quoque pergas benevolentiae tuæ gratia
honestare; quod erit procul dubio acceptationis tuæ
latissimum ac omni ex parte firmissimum argumentum.